

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Politische Urkunden von 1266 bis 1332

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1886

1304 - 1305

[urn:nbn:de:bsz:31-326704](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326704)

ecclesiasticas vel seculares nostre jurisdictionis et dyocesis intentare voluerint et movere, committimus audiendas et vice nostra sine strepitu et de plano fine debito terminandas. quodsi non omnes hiis exequendis poteritis interesse, duo vel unus vestrum ea nichilominus exequantur facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili cogatis veritati testimonium perhibere. datum apud sanctum Arbogastum extra muros Argentinenses 4 nonas octobris anno domini 1304.

T aus Straßb. Thom. A. Dominic. lad. 5 or. mb. c. sig. pend.

251. *Vor dem Bischof Reginald, dem Official und zwei Archidiaconen der Metzger Kirche quittiren mehrere genannte Metzger über Summen, welche die Stadt Straßburg schuldete, und verzichten auf weitere Forderungen. 1305 September.*

Noverint universi, quibus nosse fuerit oportunum, quod in presentia nostri Reginaldi dei gratia Metensis episcopi, . . officialis curie Metensis, Willermi archidiaconi majoris et magistri Johannis de sancto Paulo archidiaconi Metensium constituti Johannes dictus de Atrio et domina Agnes Charesson per manum et consensum Willermi mariti ipsius Agnetis cives Metenses confessi sunt et recognoverunt, quod a magistro civium consulibus et ab universitate civium civitatis Argentinensis receperint centum et viginti marcas argenti puri et legalis ponderis ejusdem civitatis, in quibus magister et consules et cives Argentinenses predicti discretis viris Guersando Colino dicto Reimbault, Petro dicto Moreil et Ponzino de Thionville civibus Metensibus quondam obligati fuerunt, quodque dictum argentum eis cum integritate sit ponderatum traditum et solutum, quittantes et absolventes Johannes et Agnes predicti auctoritate Willermi sui mariti predicti cives Argentinenses a debito principali predicto et ab omni dampno, si quod excrevit in eodem, sine dolo, facientes etiam Johannes et Agnes predicti auctoritate Willermi sui mariti predicti civibus Argentinensibus pro se et omnibus jus habere volentibus in argento predicto plenam et expressam refutationem de ulterius non petendo debitum antedictum vel aliquod dampnum subsecutum exinde. preterea Johannes et Agnes predicti auctoritate Willermi mariti dicte Agnetis promiserunt sollempniter coram nobis, si aliquis civis Metensis jus habere volens in debito principali predicto vel in dampno, si quod excrevisset in eodem, occasione dicti argenti seu debiti vel dampni subsecuti exinde aliquem de concivibus Argentinensibus in judicium traheret vel per judicium alicujus civis Argentinensis personam vel bona arrestaret vel arrestari procuraret, quod hoc eorum laboribus sumptibus et expensis tollere debeant et detentum seu arrestatum sublevare ab omni dampno. et de hoc se et omnes heredes suos constituerunt principales insolidum debitores et constituunt per presentes ita tamen, quod impediens seu arrestans cives Argentinenses seu eorum bona cum eisdem Johanne et Agnete et ipsorum heredibus diem placiti observare et justitiam tenere velit sine dolo, volentes